

fol. 177v

intimare. Sererius dixit: Et ego certissime ad te veniam et que michi possibilia tibi manifestabo. Dederuntque sibi mutuo fidem, quod post mortem unus ad alium venire et statum defunctorum intimare vellet. Post breve tempus | mortuus est socius Sererii et infra tricesimum eius venit ipse Sererius in quandam villam et ibi intravit tabernam, fortiter bibens et clamans (ut mos est illorum, qui vinum ultra mensuram bibentes) immemor contracti cum mortuo socio facto. Ille mortuus socius autem introivit in desertam domum proximo taberne, Sererium exspectavit. Et cum diu exspectaret, contigit quendam rusticum de villa domum transire desolatam, quem spiritus alloquitur his verbis: Vade propter me deumque ad tabernam et dicito Sererio: Socius quondam tuus jam mortuus hic in hac domo deserta vult te exspectare vultque tibi dicere sicut promisit statum fidelium et infidelium defunctorum. Rusticus, que iussus est, Serere intimavit. Sed ipse respondit: Nolo venire nec audire colloquia defunctorum. Post modicam horam scilicet in crepusculo contigit et alium colonum de villa domum mortui pertransire. Tunc mortuus et illum rogavit, ut presenciam suam suo socio nuntiaret, quod et ille fideliter adimplevit. Sererius autem de hoc fuit graviter indignatus et dixit: Nolo, quod michi loquatur, nec volo sibi respondere. Post paucos dies Serere voluit ad alium locum transire et veniens ad quandam aquam quesivit pontem, ne propter aquam calceos extrahere cogeretur. Cum sic oberraret<sup>w)</sup>, ex improvise venerunt quidam milites in equis sedentes. Ipse autem aporinquans eis vidit eos milites mortuos et interfectos. Territus (ut pie credendum) siluit atque transire permisit. Hos autem milites et alii sequebantur, qui et ipsi mortui videbantur. Inter hos erat socius suus. Et hi eciam omnes transiverunt et ei minime loquebantur excepto socio, qui se segregavit ab aliis. Accedebat ad eum, ut sibi loqueretur. Sererius autem fugere cogitabat. Tunc socius suus dicebat: Noli fugere, ne subito moriaris, nichil enim tibi mali de mea presenciam poterit evenire. Postea cepit ei dicere de statu fidelium defunctorum. Insuper hec addidit: Omnia hec debes dicere, ubicumque tempus habueris oportunum. Dicas eciam domino de Schwartzenburg comiti Alberto<sup>58)</sup>, quod, ni in brevi satisfaciat deo pro peccatis suis et restituat<sup>x)</sup> monachis de \*\*\* y) res suas et accipiat crucem quanto cicius potuerit peregrinando ad terram sanctam,

<sup>w)</sup> *Hs.* oberaret<sup>x)</sup> *Hs.*, quod restituat<sup>y)</sup> *Lücke in der Hs.*

<sup>58)</sup> Ein Graf Albert von Schwarzenburg ist nicht nachweisbar. Unter den Herren von Schwarzenberg (Burg südlich Waldkirch/Hochrhein) kein Träger dieses Namens.